

artibus, præoptarint molestiis immori, quam cum impietate sanari. « Quomodo enim illi, inquit, præoptarunt cædi flagris, torquerique ut ad honorem pervenirent: ita tu quoque hodie præoptasti flagellari, torquerique a febris vulneribusque ut abjiceres pietatem, non incantamentis, non applicaturis ac spebus istiusmodi nutritis, etc. » Sic ille. Itaque in talibus casibus dicamus Deum cum Josaphat rege: *Cum ignoramus, quid agere debeamus, hoc solum habemus residuum, ut oculos nostros dirigamus ad te.* Valentinianus post imp. congiarium seu munus imperatorium Juliani respuit; quod is apostata esset: cur non magis respuenda opera dæmonum?

Deinde, non animæ tantum, sed corporis etiam exitium talibus imminet, eosque pessimo interitu sæpe e medio tollit dæmon. Ruinam Simonis magi audivimus et Elymæ excæcationem. Addemus pauca alia. Cucurrerant, in aulam Anglicanæ reginæ duo magi jucundum exhibitori spectaculum, pasciscuntur singularum una in re sibi invicem parendi necessitatem. Prior jubet alterum per fenestram despicere, quod cum facit, enatis subito cervinis ex capite cornibus, cunctorum sannis et ludibriis fuit appetitus. Quare, quam impotens injuriæ tam cupiens vindictæ atrocioris, pingit carbone humanam in pariete effigiem, tum prior mago imperat, subire effigiem illam, et parietem cessurum ingredienti, mortem sibi cernens præsentem, horrere hic, et deprecari. Urgere alter conventa; subdit ergo coactus, et visus corpori paries locum dare ingredienti sed ingressus nunquam postea comparuit: videlicet superior dæmon eum occiderat, et corpus in desertum, vel speluncam alicubi abdiderat. Præstigiator quidam nobilis in diversorio publico in N. hostibus famulum ita petentibus reliquis convivis decollavit, cum autem ei rursus caput imponere vellet, animadvertit alium adesse magum, qui eum in hoc proposito impediret. Rogat hic eum ne hoc faceret. Verum cum admonitioni repetitæ alter non pareret: præstigiator in mensa liliū crescere fecit, cui cum caput et flores amputasset, concidit statim absque capite de mensa magus ille, qui alterum impediverat, et præstigiator absque ullo impedimento famulo caput imposuit e vestigio et ex hospio urbeque ne a magistratu propter commissum homicidium deprehenderetur, aufugit. Eundem exitum timere debent, qui magos consulunt: nam faciens et consentiens eadem pœna digni sunt. Ideo non solum maleficos jubet lex exterminari, Exod. XXII. sed etiam delendos a Deo dicit, qui illos consulunt, Deut. XVIII. et Levit. XIX. ubi dicitur: *Anima quæ declinaverit ad magos, etc. ponam faciem meam contra eam, et*

interficiam eam de medio populi mei. Id expertus est Saul, quem propterea occidit Dominus, quod consuluerit Pythonissam, 1. Par. X. Ut enim non solum Lucifer, qui Deo se opposuit, detrusus est in infernum, sed quotquot cum illo consenserunt angeli, factum approbando, etc. sic non soli magi, sed eorum quoque consultores eandem merentur pœnam.

Sed objiciet aliquis primo, etiam Christum et apostolos Satanae imperasse, quid ab eo fieri vellet jubentes. Sed respondere imprimis possem, stulti ac superbi animi esse, velle Christum et apostolos in prodigiis imitari: hanc enim Dei imitationem et similitudinem cum appetissent dæmones et primi nostri parentes, inde illi de cœlo, hi de paradiso exturbati sunt. Quod si aliqui sancti dæmones coegerunt ad præstandam sibi operam, uti de S. Artidio archiepiscopo byzantino legitur, quod coegerit dæmonem ad se asportandum Romam, et de exorcistis aliis commemorant historia, id factum a Deo per miraculum ob singularem zelum ac meritum alicujus sancti, etc. non sunt autem hæc trahenda in exemplum, quia non sumus parium meritorum, non habemus eandem causam, fidem, zelum, etc. ex altera vero parte hostis est fortissimus et astutissimus, qui nisi Deo singulariter cooperante, compellat nobis nequit. Deinde, utebatur Christus et prisci illi Christiani imperio in dæmones (ut ait Tertullianus): *Non invitatoria operatione, sed expugnativa dominatione.* Unde magi et qui eos consulunt non modo non imitantur Christum et sanctos, sed potius contrarium faciunt. Nam hi non invocabant nec consulebant dæmones; nec eorum opera utebantur, sed increpabant, pellebant, torquebant; nec sinebant ea loqui, etiam cum vero dicerent.

Secundo, reipsa comprobari talia media effectum sortiiri. Respond. non negari hoc, sed tanto magis cavenda esse talia dæmonum auxilia, quanto magis blandiantur, et opem ferant.

Tertio, multa ac quandoque mera adhiberi sanctitatem redolentia, orationes, jejunia, vigiliae, etc. Respond. tanto grandius esse hoc scelus, cum talia adhibentur, si quidem diabolus Deo simia, ad sui cultum et orationem hæc adhibenda contendit. Dicunt bona se hæc intentione facere. Sed respondeo et eos, qui apostolos interficiebant, putasse se obsequium præstare Deo, gravissime tamen errasse; neque bona intentione fieri possunt, quæ tam manifeste Dei præceptis contrariantur, qualia sunt illa.

Sed molesta est febris, ait alius. Respondet huic objectioni Chrysostomus dicto loco: « Verum, inquit, opponit illi incendium gehennæ, quod effu-

gies omnino, si volueris istam febrim cum tolerantia perferre. Reputa tecum, quam multa passi sint apostoli! Considera castos perpetuo in afflictionibus fuisse, etc. » et infra: « Quam multum frequenter optarunt martyrii coronam accipere? Hæc est parata martyrii corona. Non enim is modo martyrium peragit, qui jussus sacrificare potius ducit emori: verum etiam servare quod justum est, ac sponte propter Deum mortem accersere, manifestum est martyrium, etc. »

IV. Denique, sunt næ artes nomine christiano indignissimæ. De nobis enim S. Petrus, 1. Petri, ait: *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis; ut virtutes annuntietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum.* Lumen nimirum fidei, quod hodie illuxit gentibus, et duxit ad veri Dei cognitionem. Quæ sunt autem illæ virtutes Dei a nobis annuntiandæ, nisi illæ, de quibus Dominus ait: *Ecce dedit vobis potestatem calcandi super serpentes, et scorpiones, et super omnem virtutem inimici et nihil vobis nocebit?* Luc. X. quam sæpe hoc demonstratum? Quam sæpe obmutuerunt dæmones ad præsentiam sanctorum? Apollo Daphnæus apud Antiochenos, ad præsentiam reliquiarum S. Babylæ martyris, Sozom. l. V. hist. c. XVIII. Serapis ad præsentiam S. Apollinaris, ut in ejus vita, apud Sur. 23. julii: internuntius Juliani apostate in occidentem missus, oratione Publii monachi, per dies decem in quodam loco, ubi is orabat, sistebatur, ita ut progredi non posset, et re infecta redire cogere, remque Juliano referret, apud Baron. anno 363. Alias item sacrificanti Juliano, præsentem quodam Christiano, qui credebatur gentilis, omnia irrita cedebant, ipso et sacrificulo aliisque ministris horrore perfusis, aliis stupentibus et Jesum invocantibus, Prudentius in apotheosi contra Judæos. Irritæ igitur fiebant gentilium præstigiæ, divinationes et oracula, si quis solum Christianus interesset, adeo ut oportuerit idolorum sacerdotes, antequam oraculorum responsa exposceret, altius proclamare: *Procul hinc sit lotus et unctus: Christianus nimirum baptisate tinctus et confirmationis oleo inunctus.* Quid igitur regiam hanc dignitatem, et virtutem tam fœde commaculabimus, subjiciendo nos illi, quem sub pedibus nostris subjecit Deus? Quid rursus post lucem abimus in tenebras? Cur eruti a jugo dæmonis, iterum nos subjicimus? Faciebant hoc aliqui Galatarum, quos arguit apostolus et inter alia ait, c. V. *State et nolite iterum iugo servitutis contineri.* Stemus igitur et nos, et cum magis hodiernis, primis nostris parentibus Christianis, deponamus ad pedes Christi omne id quod fidei christianæ repugnat: ut sic

stella fidei duce perducamur ad ipsum in gloriam.

CONCIO V.

DAMNANTUR SUPERSTITIONES SEU OBSERVANTIÆ EQUÆ MULTIPLICES.

I. Observantur figuræ. — II. Observantur verba. — III. Observantur dies. — IV. Observantur cætera omnia. — V. Observantur certæ actiones. — VI. Observantur res benedictæ. — VII. Observantur res abominabiles.

THEMA.

Vidimus stellam ejus in oriente. Matt. II.

Hodierna dies, si quæ alia totius anni, maxima animi veneratione et lætitia suscipienda et adoranda est. Hæc enim illa dies est, quam expectabamus: quæ tenebras ignorantia nostra discutiens, stellam fidei nobis accendit, ejusque luce ad Dei veri cultum et agnitionem nos adduxit. Ante istum diem discurrebamus in mundo non aliter atque in luto solent pueri, qui obvelate vultu socios latentes vel discurrentes inquirent, et obvium quemque arripiunt, sed quem arripuerint ignorant. Sic in iis mundi tenebris olim discurrebamus, Deum nostrum inquirentes, et sæpe creaturas pro Deo amplectebamur, quia cæci eramus. Propterea tantopere clamavere patres ad Deum: *Illuminare his, qui in tenebris et in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.* Hodierna dies est quæ lucem nobis attulit et stella fidei duce Deum verum nobis ostendit. Hinc excitatura nos Ecclesia, ut relictis ignorantia et falsitatis tenebris stellam hanc sequamur, clamat in hodierna epistola cum propheta Isaia, cap. LX. *Surge illuminare Jerusalem, quia venit lumen tuum et gloria Domini super te orta est.* Sed heu miseriam sanguineis lacrymis deplorandam! (uti deplorat Christus, Joan. III. dicens: *Lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem;* magna pars Christianorum est usque in hodiernum diem, qui deserta fidei luce stellam aliam sequuntur, quæ non illuminat, sed excæcat; non movetur aut dirigitur ab angelo lucis uti magorum stella, sed a maligno spiritu: non ad Christum adducit sed ad orcum, stellam superstitionis et vanissimarum observantiarum, cujus ductu commodum aliquod temporale sectantur, ut sanitatem, opes, scientiam, voluptatem, securitatem in periculis, etc. interim vero avia salutis abducuntur volentes, ac lubentes quia scientiam sequuntur non bonam, vanam et deceptoriam. Tales cum essent Galatæ observantes v-

delicet infirma et egena elementa (ad Gal. IV.) inerepans eos apost. *O insensati Galatæ,* (ait ad Gal. III.) *quis vos fascinavit non obedire veritati; ante quorum oculos Jesus Christus proscriptus est, in vobis crucifixus?* Quomodo enim vos non proseribitis Jesum Christum, et denuo in vobis crucifigitis, qui cum fidem ei in baptismo voveritis, et diabolo renuntiaveritis, nunc spreto Christo, dæmonibus communicatis, et cum eisdem paciscimini? Sed enim qui multi sunt, qui nolunt agnoscere se a vera stella deflectere, et dæmonis ductum sequi, ideo hoc per multa quæ fere nunc inter nostrates vigent, exempla ostendendum.

I. Observant aliqui figuras et imagines, sigilla, annulos, characteres, numeros, schedulas, etc. quarum interventu fortunam, securitates et multa alia sibi pollicentur; cum tamen naturaliter operativa non sint (quid enim amplius, v. g. possit quadrifolium, quam trifolium, figura rotunda quam quadratis?) Fraudes igitur hæc dæmonum sunt, qui hæc constituere signa et tesseras militares aut pacta conventa. Quemadmodum enim Judas cum Judæis pactum iniit, ut quem ipse oscularetur, ipsi apprehenderent et caperent, cum tamen osculum secundum se nullo modo sit sive causa, sive signum apprehensionis et offensionis, sed potius amoris et benevolentiae; ita et qui talibus utuntur figuris, etc. ad effectus, quos ex vi sua producere nequeunt, signum dant dæmonibus, ut effectus illos ipsi producant. Nec refert, si non expresse pasciscantur cum dæmone, et hoc signum ei constituent: sufficit enim quod ejusmodi rebus utantur, quæ natura sua, id quod volunt, efficere nequeunt, hoc ipso enim incipiunt fieri signa talia, quibus accersiti diaboli ad subventionem advocantur; idque verum est, licet figura ille et imagines, etc. secundum se essent commendabiles uti s. crucis et sanctorum; sicut enim osculari Christum secundum se fuit res laude dignissima, in proposito tamen Judæ facta, nequissima et perversissima, quia ad malum finem directa: ita et figura crucis, etc. cujus interventu, Christum velut Judæ osculantur. Exemplum refert abbas Spahamensis, apud Maiol. tom. II. canic. de sagis, de bubulco quodam, qui in baculo suo pastorali schedulam nomine D. Blasii inscriptam habebat, cujus baculi vi porcos suos ab omni luporum rabie tutos credebatur, etiam se absente. Quodam vero tempore, cum gregis pastor abesset, quidam juxta gregem ejus transiens dæmonem porcos illos custodientem vidit, pastore absente, qui interrogatus quid illic ageret qui hominum saluti insidiaretur: Porcos, (inquit) custodio. Et cujus jussu? inquit alter. Dæmon

vero, stultæ pastoris confidentiæ. « Schedulam enim quamquam baculo suo inclusit, cui divinam adscribit virtutem, vel inde quod S. Blasii est inscripta, eamque ad porcorum custodiam valere existimat contra legem suam mihi falsa superstitione credens. Ego itaque cum Blasius ille sapius a me multumque vocatus non comparuisset, me interim S. Blasii loco, huc ad custodiendum contuli, ut stultum hominem in sua vana confidentia retinerem et firmarem, eoque tandem perderem, ut schedulam hæc Deo aliquando præferat. » Vide igitur qua ratione dæmon pro sanctis advolet et operetur, si non per media debita, sed stulta et inefficacia invocentur sancti.

Non est eadem ratio cum rebus ab Ecclesia benedicti solitis, eæ enim vim quamdam supernaturalem accipiunt a Deo propter orationem et benedictionem Ecclesiæ quæ promissionem a Deo habet de audiendis suis precibus.

II. Alia in verbis observantia est, cum certis verbis et incantationibus commodum aliquod queritur. Uti sunt, Irioni, Kyrioni, Ananisapta, Avigazittor, Dismas et Gismas: item Adam, Hanah, Cutz, Lillith, Senoi, Sansenoi, Samangeloph, etc. item Adonai, Urim, Thummim, Tetragrammaton. Ejusmodi etiam verba maledicta sunt: Ante parante, Parante ante, etc. Hax, pax, max, etc. Abrac, Amon, etc. Darata, Darics, etc. Galbes, Galdes, etc. Gibel, Got, etc. Jao, Sabaath, etc. et ut memini me vidisse verba contra morsum canis rapidi: Ira, bira, lirapira, etc. Hæc enim omnia nullam vim activitatis habent, sive ex gratia et miraculo, quia Deus nihil tale illis promisit, nec Ecclesiæ revelavit; sive ex natura sua quia scripta sunt quid mortuum, nec vim habent, nisi forte ab atramento et charta: ore vero prolata non possunt nisi aerem verberare, uti et aliorum animalium soni ac proinde unum altero efficacius non est, quia si quam habent vim, habent quantum sonus sunt et non aliter. Falsum ergo per incantationes vulnera et morbos curari, vel alia noxia repelli, quia sonus nequit immutare tactum sicut nec calor auditum. Deinde, quis non videt dæmonis vestigium in talibus incantationibus, ubi fere semper peregrina admiscantur vocabula ficta et ignota, et pleraque dæmonum ac damnatorum, Biraabæ, Gismæ, etc. Quemadmodum enim ipse dæmon, Deo disponente semper apprehenditur apparere cum aliquo defectu vel deformitate, unde agnosci queat, ut notat D. Chrysost. homil. IV. de Lazaro, apud Delrium, lib. II. q. XXVIII. capite III. Ita enim incantationes non sunt sine ejusmodi peregrino aliquo, et diabolico verbo. Nam si communibus et vulgaribus solum uteretur vocabulis, non facile persuaderet vim messe his hominibus. Ac licet his ipsis admiscantur etiam pia aliqui salutaria verba, uti Christi et sanctorum, etc. nihilo tamen plus faciendæ, tum quia cum ingenti blasphemia ad pessimum finem applicantur, tum quia plerumque incantationes a Deo incipiunt, et cum dæmone finiunt, prout eorundem est intentio. Quid igitur fit his verbis, quando ut sæpe fit, effectum dant? Diabolum ex insidiis latitantem advocant, ut ipse operetur, quod verba operari videntur; quemadmodum enim latro unus in silva viatori se adjungit et latroni socio in insidiis latentis signum dat lingua peregrina vel alio modo, ut is viatorem scilicet traiciat: ita faciunt qui ejusmodi incantationibus utuntur; dæmonem enim per ejusmodi voces evocant, etsi id aliquando non putant, ut medeantur morbo, etc. Exemplum recitat juriconsultus quidam, libro V. De lamiis, cap. VIII. de vetula, quæ petierat a studioso exscribi sibi certa quædam verba incantatoria contra ophthalmiam, studiosus nihil aliud scripsit quam: *Diabolus huic vetulæ eruat oculos,* simulque præclarum hoc phylacterium mulieri tradidit: quod illa gratanter suscipiens ad collum appendit, et paulo post sanata est. Num schedulæ hujus efficacia putatis? Nimirum dæmon fuit, qui curationem fecit, ut mulierem in superstitione sua retineret. Itaque non modo non exercendæ sunt incantationes, sed nec patiendæ, exemplo S. Bernardi, qui per adhuc gravi capitis dolore vexatus, advocatam ad se leniendo dolori incantatricem, cum indignatione repulit, et cum impetu surgens, mox a Deo sanitatem recuperavit, ut in ejus vita, l. I. c. I. Quod si ad illius exemplum recursum nostrum ad Deum verum medicum haberemus, nunquam destitueremur.

III. Observantur ab aliis dies, quasi alii fausti, alii infausti, causa horum vel malorum sint, horæ idem et pene minuta; at cum die S. Joannis Bapt. olera et herbas colligunt; certis diebus olera scopis tangunt contra vermes et erucas; qui metunt ungues præscindere die Veneris, neve die sabbati, licet interim alia servitia faciant: qui ova die parasceves posita toto asservant anno pro incendiis extinguendis. Qui observant duodecimam horam, ne in ea iter aggrediantur; qui salem et aquam benedictam in dominicis post quatuor tempora majoris putant efficaciam; qui dies conversionis S. Pauli, Vincentii, Urbani observant, velut diutinæ pluvie aut serenitatis subsecuturæ indices; qui diem S. Medardi, si pluviosus sit, triginta dierum pluvias continuas prænuntiare volunt: denique, qui festo S. Stephani equis sanguinem minuunt tamquam die ad hoc felicissimo. Qui omnes reprehenduntur in primis

ab apostolo ad Galat. IV. dicente: *Dies observatis et menses et tempora anni. Timeo vos, ne forte sine causa laboraverim in vobis.* Ubi insinuat, periculum esse, ne relabantur in gentilismum, vel atheismum, necromantiam, etc. qui talia observant. Deinde, Deo maximam faciunt injuriam, qui omnia bene fecit, ac proinde etiam dies omnes, nullam infelicem; quia ut in Psalm. dicitur: *Tuus est dies et tua est nox, tu fabricatus es auroram et solem.* Similiter etiam sanctis, quorum dies festi talibus superstitionibus fœdantur magis, quam vili servili opere, vel etiam peccatis aliis, quia per se et directe dies illos ad peccatum suum trahunt, præsertim vero inter alios intoleranda sit injuria in his terris S. Stephano, cujus die missa a quam plurimis negligitur: et S. Medardo, cui non absque blasphemia adscribuntur diutinæ pluvie, quæ circa illius festum plerumque generantur, non quidem ob sancti illius diem, ut mentiuntur, sed quia circa id tempus sol Pleiadum Hyadumque extimulat vires, quæ sidera turbulenta natura humidus status exsuscitent et aliquot dierum continuis pluviis terram rigent, ut refert Maiol. tom. I. canic. De prædict. phys. denique, falso et vanissime conjectantur. Unde enim quæso colligas, diem unam altera felicioram prædicta? Unde vis in una certa potior sive supernaturalis? Dices, experientia docet; sed unde tibi constat eam non esse fallacem, et non ex pacto proficisci? Certe fallacem esse diceret medicus, qui noctu ad ægrum vocatus, recusavit, quod infaustus esset dies: qui paulo postquam hoc dixisset, de lecto cadens crus confregit. Non immerito Deus permittit, ut ita aliquando contingat; sed in pœnam malorum, ut in laqueum cadant, quem sibi fecerunt. Dices; devotio, suadet. Sed non est devotio, quæ cum scandolo et, et ad Dei sanctorumque injuriam vergit, quæ suspecta est anilis, quæ ab Ecclesia non approbata.

IV. Observant alii omnia, quasi nescio quæ fortuna vel infortunia portentant, cum nec causæ, nec signa eorum sint: ut tinnitum aurium, indicare, de te sermonem fieri; bonum si dextera, malum si sinistra tinniat, si quis crus cruri superimponat, si corvus super tectum ceciderit: et hæretici, si monacho obvient, pro infausto habent. Vinum in mensa effusum, bonum; salem vero malum esse indicium. Inventionem solæ equinæ cum omnibus clavis suis, bonam putant. Cuculi cantus, ad vitæ annos: coturnicis, ad frumenti pretium indagandum observatur. Lupus ante viatorem trans viam currens, bonum; lepus vero malum. Sed lepores revera sunt isti: non dubium enim imprimis multa horum ab antiquis loco excogitate in omnes transiisse, uti de

lupo et lepore autumat Maiolus, tom. II. canic. De vaticin. Quis enim non mallet lupum transcurrere quam adorari se? Leporem autem consistere et capi, nonne melius et optatius sibi esset quam fugere? Sed vanissima hæc sunt omnia, quoniam cum iis, quæ portendere dicuntur, nullam prorsus habent connexionem. Quis enim cuncto diceret vel quomodo ipse capere posset, quanta sit mea ætas? Quis auribus meis, quid alii de me loquantur? Et sic de cæteris. Fieri quidem facile potuit, ut initio quis ejusmodi eventus casu acciderit, ut, v. g. salis eversionem, corvi evocationem super tectum alicujus, etc. sequeretur eventus malus, et inde hæc traherentur in omnia per vanam persuasionem; deinde ad hæc fieri potest ut hæc consequantur, sed de pacto implicito et justa Dei permissione, qui sicut mulieri fideli dixit: *Fiat tibi sicut credidisti*, ita etiam dicit ejusmodi superstitionis hominibus. Nihil igitur aliud hæc omnia significant, quam vanos et impios esse omnes eos, qui illa observant et metuunt: quemadmodum prædixit et comminatus est Deus, Levit. XXVI. dicens: *Terrebunt eos sonitus folii volantis, et ita fugient quasi gladium: cadent nullo persequente, etc.* Quemadmodum enim Cain quia male sibi conscius erat, semper timebat etiam ubi timendum nihil erat; unde ait: *Omnis qui invenerit me, occidet me*, Genes. IV. cum tamen præter ipsum et parentes ejus, nemo adhuc in mundo esset; ita etiam isti, qui male sibi conscii, Dei iram metuunt, nihil non timent. Quod si fiduciam in Deum haberent, facile sibi persuaderent Deum fortiorem esse his ætibus. Propterea justi hæc minime metuunt, sed dicunt cum Davide: *Et si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es*. Ita ambulabat Philippus Francorum rex, qui audiens ceream quamdam imaginem ita suo nomine incantatam, ut ea destructa, ipsi quoque moriendum sit, assumpsit imaginem et in ignem abjecit: *Et videbimus*, inquit, *si potentior sit dæmon ad perdendum me, quam Deus ad salvandum*. Refert Gerson, de erroribus circa artem magicam. Superstitiosa omnia si quem minantur aut sortiuntur eventum, per dæmonem sortiuntur; unde qui illa timet, majorem tribuit dæmoni potentiam quam Deo; vel certe male sibi conscius nullam in Deo habet fiduciam.

V. Observantur certæ actiones, quasi proficue ad certa commoda, cum tamen nihil minus efficere possint. Uti sunt certæ ligaturæ ne vaccis lac subtrahatur: dentem, si exciderit post tergum abjiciunt, ut iterum crescat, vel alio deferunt: cum tonat tuto putant subter scalas confugere: febres alteri tradunt aut vendunt: morbis curam

adhibent mediis non naturalibus, etc. quibus omnibus cum nihil ad propositum efficacitatis habent, mire illuduntur a diabolo, qui talia observant. Cum enim diabolus adhuc semper divinum honorem ambiat, sciatque Dei omnipotentiam ex quovis facere posse quotvis, et quemadmodum Christus fecit, luto posse illuminare oculos, etc. idcirco etiam actiones aliquibus suadet adhibendas, effectui nihil proportionatas: quo sic persuadeat, divinitatem aliquam rebus illis inesse. Sed decipit misere miseros, nec ista quæ exercentur, effectum dant, sed ipse clanculum activa passivis applicat et operatur, donec aliquando occasiones et potestatem acquirat, hominem perpendi. Exemplum de studioso mago, qui amico suo febricitanti fertur dixisse, ut febrim suam alicui inimicorum suorum traderet, illo vero respondente, neminem sibi inimicum esse: *Da servo tuo*, inquit magus. Cum hoc æger sibi religioni duceret: *Da ergo eam mihi*, inquit. Dictum factum, æger liberatus, magus febrim oppressus interit. Refertur ab auctore dæmonomania, in Maiolo, l. II. canic. De sagis. Cum enim diabolus perditioni animarum semper insidietur avidissime, nihil quantumvis fatilium et vilium officiorum detrectat, quicumque nugis ac gerris adesse curat ac gestit, omnibus sua servitia defert, ad omnia se paratum sistit: quemadmodum histrones lucri gratia omnibus jocularunt et villissimis ineptiis pro cujusque placito ludere et aliis placere student. Ac licet quandoque procuret homini sanitatem, opes, securitatem, prosperitatem, etc. alioqui homini infensissimus, facit tamen id, ut hominem in anima vulneret adeoque in æternum perdat, quod solum, ipse querit.

VI. Observantur etiam res benedictæ et opera pia superstitione fine, ut cum aqua baptismalis et sacrum chrisma, cera vel thura de cereo paschali ad alia effecta magica adhibentur. Ita oblationem ex elemosyna collectam efficaciorum putant, vel etiam crucem ex elemosynis emptam. Volunt ut amuleta sacra, agni Dei, evangelia, etc. tali vel modo involuta vel conscripta sint: gallinam quæ offertur S. Vito, nigram esse debere et ter vertendam super altare. Quia in re mira cernitur dæmonis astutia, qui res alioqui salutaris veneno aspergere conatur, ut noceant animabus quæ prodesse debeant: quemadmodum Judæis Scriptura sacra, quæ salutem eis afferre debeat, perperam intellecta perditionem attulit, quando ea contra Christum et ad tuenda vitia sua usi sunt, juxta id Psalm. LXVIII. *Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum*. Ita serpentem æneum, qui Judæis salutem attulerat, detorsit in eorum perniciem et proposuit adorandum

velut Deum, uti legimus, IV. Reg. XVIII. Ita ergo fontes Christianorum, e quibus salutem haurire deberent, veneno inficit, ut mortem inde hauriant. Cernitur etiam mira diaboli superbia, qui sicut non dubitavit petere a Christo, Matth. IV. ut adoraretur: sic etiamnum Dei honorem affectat et homines allicit, ut ipsum rebus etiam sacris venerentur, easque in servitium ejus usurpent.

VII. Denique, res etiam abominabiles observantur, ut ossa mortuorum, catenæ suspensorum et laquei, annulique ex iis facti et similia, quibus nititur dæmon efficere, ut hoc pacto homines pudorem et modestiam humanam timoremque exuant, quo facilius deinde iis absurdiora persuadere possit eosque audaciores ad quævis nefanda reddere. Quemadmodum enim serpentum dormitores, pueris eor serpentis comedendum præbent, quo deinceps serpentis nullum timeant, sed omnes capere et contrectare audeant: ita etiam dæmon per ejusmodi inhumana et formidabilia disponit homines ad quævis inhumana et putida perpetranda. Ab his et similibus, si vere Christiani esse velimus et hæredes cæli summopere cavere debemus. Quia impossibile est servire Deo et diabolo: hæc autem omnia diaboli arma et ministeria sunt. Ac si quidem aliquis in istis dubitat, tenetur interrogare confessarium aut parochum suum, virosque doctos: alioqui vincibilis ignorantia eum condemnabit, sicut cum alicui peregrinus et nunquam gestatus cibus apponitur, prius interrogat, qualis sit cibus et an innocuus; quod si non facit, culpa ipsius. Sic: *Charissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint*, ait Sanctus Joannes, 4. capite IV.

CONCIO VI.

VARIA DIVINATIONUM GENERA EXPLORANTUR.

I Divinatio ex astris. 1. Astronomia bona et concessa. 2. Astrologia vana et vetita. — II. Divinatio ex elementis. — III. Divinatio ex physiognomia. — IV. Divinatio ex somniis. 1. Ex divinis. 2. Ex naturalibus. 3. Ex diabolicis. — V. Divinatio ex oraculis. 1. Hæc impia. 2. Stulta. 3. Periculosa. — VI. Divinatio ex sortibus. 1. Divisoria. 2. Consultoria. 3. Divinatoria.

THEMA.

Vidimus stellam ejus in oriente. Matth. II.

Videntur sibi divinatores et qui eos consulant, artis seu potius vanitatis suæ non leve præsidium reperisse in hac stella, quæ duxit magos ad præsepium. Sed o inanes homines! Sciendum vobis

est stellam hanc ejusque ductum nequaquam fuisse naturalem, seu unam ex stellis cæli; sed longe diversam, siquidem non ut aliæ, movebatur ab ortu ad occasum, sed versus Bethlehem: deinde modo apparuit, modo disparuit: modo progressa est, modo stetit supra ubi puer erat: denique cæteris elegantior, et terræ vicinior fuit: et quod magis natum indicavit, nequaquam ex sua natura, sed ex mira Dei operatione habuit. Stella igitur hujus ductus, Dei ductus fuit, quo ubi magi paululum recesserunt et ad responsa hominum diverterunt, perdidit, ut advertit S. Bern. serm. III. de epiphaniæ. cum ait: «Hinc manifeste datur intelligi, quoniam humanum flagitantes consilium, divinum amisere ducatum: et conversos ad terrenum documentum, signum cæleste deseruit.» Idem evenit iis, qui relicto Deo, a dæmone ejusque ministris ariolis scientiam et ducatum Dei, dum opem et ducatum dæmonis et aliarum creaturarum implorant. Hoc igitur ut caveamus, aures arrigamus.

I. Divinant aliqui ex astris, sed duplici specie; quarum prior est astronomia, quæ nititur universalibus et veris principiis, et inde, nisi instrumenta vel supputatio fallant, verissime prædicere potest revolutiones annorum, cursus siderum, eclipses, aspectus varios planetarum, etc. ideoque licita est. Posterior astrologia, tantum differens a priore, quantum differt conjux justa a pellice, quæ nititur principiis incertis et variabilibus, prædicatque futura contingentia, ideoque vana est et superstitiosa, si tamquam certo eventura prædicat; secus si cum suspitione tantum et formidine oppositi. Ratio prioris est, quia quæ a voluntate divina et arbitrio hominum pendent, certo præsciri nequeunt. Talia autem sunt eventa et vicissitudines totius anni; nativitates et quæ homini tota vita obtingent; electiones, quæ docent, quid in singulis rebus, vel diebus consulto et utiliter faciendum, v. g. quando equitandum, navigandum, ædificandum, capilli tendendi, etc. De hoc dicitur Jerem. X. *Juxta vias gentium nolite discere, et a signis cæli nolite metueri, quæ timent gentes*. Etenim hæc nihil possunt in hominis arbitrium, multo minus in Dei voluntatem et gratiam, quæ cum vult mutare hominem potest in virum alterum, eaque quæ ad justum pertinent, pro libito disponere. Constat enim geminos sæpe diversissimarum esse naturarum et morum, uti patet de Esau et Jacob. Ratio posterioris est, quia si sæpe observatum est, tales effectus subsequutos esse, adeoque hæc vel illa sidera inclinare naturas ad hoc vel illud, possunt formidinem et suspitionem gignere, tale quid eventurum, absque superstitione. Cæterum qui certos dies